



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CXCVII. Ioannis Papae VIII. Ad Lvdovicvm Regem. Gratias agit de propensa voluntate erga Romanam ecclesiam. hortatur vt ad eam a Paganorum incursionibus defendendam veniat; eique tacite ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

volumus omni occasione postposita sine mora venire , aut legatos dirigere : & dum , Christo opitulante , perpetrata transgressionis purgaueris , te in communionem omnimo- dis recipiemus . Data vt supra .

EPISTOLA CXCVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM REGEM.

Gratias agit de propensa voluntate erga Romanam eccliam . hortatur vt ad eam a Paganorum incursio- nibus defendendam veniat ; eique tacite imperium pollicetur .

Dilecto ac spiritali filio Ludouico glorioſo regi .

VESTRÆ regiæ serenitatis mellifluis relectis apicibus , quos per Astaldum insignem comitem vestrum nobis mandaſtis , quantam deuotionem , ac sincerissimam voluntatem exaltandi & defendendi ecclesiam Dei , more videlicet parentum vestrorum gloriosissimorum imperatorum habeatis , luce clarius nouimus . Vnde valde gauſi exiſtentes , maximas excellentiæ vestræ agimus gratias , quia nobis inter tot angustias , & persecutions , quas a Paganis affidue ſupra modum patimur , vestræ inuiſtæ potentia auxilium , defenſionisque ſolatium pia dumtaxat animi deuotione conferre omnimodis cupiatis . Ideo fili cariſſime , noſtræ apostolicæ admonitioni aurem clementiæ vestræ vt accommodetis , obnixe precamur , vt citius nobis veftro potenti brachio ſubuenire ſtudeatis : quatenus ſanctam Dei ecclesiam in magna nunc fluctuatione poſitam , ad portum ſalutis , & tranquillitatis efficaciter perducatis , & terram perditam per vos , Deo propitio , ad pristinam reuocetis in columitatem , vt ex hoc , & apud omnipotentem Dominum dignam valeatis mercedem recipere , & in praefenti ſeculo laudabile nomen omnimodo acquiratis . Quapropter ſcitere pro certo , quia nullus parentum vestrorum tantam gloriam , & exaltationem a præcessoribus noſtris percepit , quantum nos vobis , ſi veneritis , totis multipliciter viribus desideramus impendere . Porro de hoc , quod mandaſtis , vt pro eu-

Concil. Tom. 24.

Dd ij

ture regni Ludouici piæ memorię nepotis vestri præpediti existatis, pro multo, quod circa vos videndi desiderium habemus, turbati manemus; sed vestra fisi benigitate petitum, vt omni cura remota, pro amore Dei, & sanctorum apostolorum Petri, & Pauli, nostræ petitionis sollicitudinem pio pectore vestro alacriter assumatis: vt sicut sedes apostolica, quæ caput est omnium ecclesiarum Dei, vos magno desiderio, quasi vnicum & carissimum filium præstolatur, vestra speciali visione celeriter perfruatur: quoniam si, Deo fauente, Romanum sumpseritis imperium, omnia vobis regna subiecta existent. Nam si pleniter sciretis quanta nos vndique mala, quæ pro multitidine scribere nequiuimus opprimunt, & affigunt; tantum in vestra cognoscimus sapientia, quod per vestram magnitudinem iam maneremus defensi. Deus te incolumem custodiat carissime fili. Data supra.

PISTOLA CXCVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD AIRARDVM ARCHIEPISCOPVM AVSCENSEM,
EIVSQVE SVFFRAGANEOS.

Hortatur ad deprauatos populi mores corrigendos, præcipue incesta matrimonia. ne quis relicta vxore aliam ducat, aut simul cum vxore concubinam habeat vt tres immobiles ecclesia nemo sibi usurpet, & vt clerici sub episcopi sint potestate.

Reuerentissimis & sanctissimis, Airardo archiepiscopo, & Inuolato Conuenensi, Vrainardo Conserano, Sarfonio Bigorrensi episcopis.

MVLTAS præuaricationes contra totius Christianitatis religionem, atque sanctorum patrum venerabiles sanctiones, his vestris in partibus a prauis fieri Christianis veridica multorum relatione didicimus. Quos vero nec piæ admonitionis vestrae blandimento, nec debitæ excommunicationis vinculo, nec etiam apostolicæ constitutionis verbo, aliquatenus a tantorum malorum operum infestatione ac perpetratione prohibere, nec peni-